

Ad Lectorem.

QUam grata DEO, & quam proficua saluti animarum semper fuerit pia recordatio Passionis ac Mortis Domini nostri JESU Christi, id satis indicat effatum aureum Alberti Magni Tractatu de Missa: Simplex Meditatio Passionis Christi plus valet, quam si quis per annum jejunaret in pane & aqua qualibet sexta feria, vel disciplinaret se usque ad effusionem sanguinis. Et certe hac pia DEI patientis memoria ad penitentiam conversi sunt gravissimi peccatores: alii vincere affectus animi immoderatos & in studium Christianarum virtutum tota contentione incumbere, alii Deum

ardentissime amare, & amore illius
multa pati, & agere ceperunt. Quæ
res, quoniam tantum fructus & me-
riti cogitantibus adferat, idcirco u-
niverſa Paſſionis Chriſti myſteria in
quadrageſima dies hic breviter dige-
ſta ſunt. Servient, ut in promptu
habeas materiam, qua pie recolenda
per ſingulos Quadrageſimæ dies
paſſum pro te Deum venerari, cru-
ciatibus ejus compati, virtutes imi-
tari, atque uberem animæ fructum re-
ferre valeas. Adjicitur etiam per
ſingulos dies Oratio Eccleſiæ, cum
Stationum Indulgentiis, ut recitan-
do quotidie ſepties Pater & Ave,
&c. ad præſcriptam ab Eccleſiâ in-
tentionem tanti theſauri te red-
dere participem poſſis.

ORDO